



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

CIX. Hvgo LXXXIII. Arch. XXXVII. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

CIX, HVGO LXXXIII. ARCH.
XXXVII. ELECTOR.

JOannes Hugo Caroli Caspari Electoris ex sorore nepos, ex perillustri sanguine de Oresbeck dicto, in Ducatu Juliacensi natus, & ex Adjutore Archipræsul creatus, relictas ab avunculo curas in se suscepit strenuè, quamdiu per pacis otium licuit. At brevi tempore licuisse doloris maximi argumentum erat; anno namque 1684. post expugnatum Luxemburgum, à Gallis illata pertulit mala plurima: ab iisdem prætenso in Treviros Comitum Luxemburgicorum jure urbs hæc Electoralis magna sui parte est destructa, Gallis consilia saniora & quasvis preces eludentibus: unde Electori in arcem Ehrenbreitsteinianam migrandum, & permanendum fuit longo tempore. Extructum in Archiepiscopali solo à Gallis munimentum Treviris adversum nomen Montis Regalis obtinuit, quorumvis subditorum Trevirensium grande terriculum, unde tributa colligi, & vim facile inferri posse noverant. Confluentia etiam à Gallis obsidione tentata, non tamen fuit expugnata. Anno 1697. pax Risvvikiana recreare Electorem unà cum aliis Viris Principibus videri poterat, qua inita mons Regalis destructus, & ditiones Trevericæ à Gallis relictæ, Archipræsuli suo sunt redditæ; verùm an 1700. sine prole Carolo II. Hispanorum Rege mortuo, dum Mars evocavit in arenam & Cæsarem & Gallorum Regem cum fociis, nunquam licuit Treviris esse securis. Bellis igitur perpetuis vexatus Hugo Elector, & curis attritus an. nostri seculi 11, tumulo est illatus, postquam annis 35. parùm quietè sedit.